



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

De Controversijs Polemicis, & Scholasticis, etiam modernis

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

Et quomodo Angliæ secta nova repugnet antiquæ

urn:nbn:de:hbz:466:1-40853

*Secta Lutherana moderna, & antiqua in Anglia,
antilogia & discrepantia manifesta.*

Paret illa, in mutatione Libri authenticici publicarum precum, quem sibi ab initio pro puro Dei Verbo, & fidei suae instrumento Secta Lutherana proposuit. Nam in praedicto Libello sub Rege Eduardo & Elifabetha Regina pro vera Scriptura legebatur Tobiae Caput quintum, sextum, & octavum. Danielis Caput 14. & quaedam ex 13. Ex Ecclesiastici cap. 46. non pauca. Haec autem omnia aliaque, sub Jacobo Rege eadem Ecclesia ex Libro publicarum precum tanquam apocrypha penitus expunxit: uti apertè ostendit Examen Libelli publicarum precum praelo datum anno 1610. pag. 30. Quomodo verò potest esse eadem Ecclesia quae eandem non habet Scripturam? In qua quod illa pro Verbo Dei olim admisit, haec pro apocrypho modò expunxit? Manifestum sanè est vel illam pro Scriptura ista approbando, vel hanc reprobando in fide errasse.

Præterea in his, aliisque dogmatibus loca innumera, in quibus Calvinus, ac multo magis Lutherus secum apertè pugnavit, atque instar fallacis Prothei, uti res ferebat, sese in varias doctrinae formas transmutavit. Ex quibus hoc demum conficies argumentum.

Non potest ex Dei Spiritu loqui qui vel semel in doctrina fidei proponenda sibi contradicit: Atqui Calvinus & Lutherus in doctrina fidei quam Dei nomine proponit saepius eloquitur contradictoria. Ergo non potest Calvinus & Lutherus loqui ex Spiritu divino in doctrina illa

quam se Dei nomine scribere ac prædicare profitentur. Sicut in verbo Dei scripto, si vel semel in illo contradictionem apertam deprehendas, in cæteris omnibus tota Scripturæ fides evanescit. Videant igitur, ac seriò agnoscant horum Sectatores, quàm fallaces sint Prophetæ ac divini Spiritu penitus vacui, quibus ab initio fidem suam ac salutem crediderunt.

ARTICULUS TERTIUS.

Confusio & discordia Sectarum quæ ex Lutheranismò & aliis prodierunt.

Non potest esse unitas, aut veritas Fidei in Ecclesia Lutherana, cujus præcipua membra, & quasi primi Apostoli, in sua doctrina neque cum Luthero, neque inter se concordant; sed mox ubi prodierunt in Sectas varias sibi, Luthero, ac Evangelio contrarias degenerarunt, uti hic apertè demonstro.

Ac primò, ipse Lutherus in Saxonia circa annum 1517. ubi matrem suam Ecclesiam Romanam viperino more laniare exorsus est, mirum dictu in quot se figuras moresque transmutaverit, ut novum aliquod Religionis monstrum efformaret. Etenim ex ipso non Secta unica, sed tres immundi Spiritus (quales Apocalypsis. cap. 13. dicuntur exire de ore pseudo Prophetæ) primo velut partu prodierunt. Hi sunt Homologistæ, Anabaptistæ, & Sacramentarij. Et quia tres sunt qui veritati testimonium dant in terra, Spiritus, Aqua, & Sanguis, Baptismum aquæ inquinant Anabaptistæ, Spiritum veritatis in potestate Clavium oppugnarunt Homologistæ, Sanguis-